Quaestio Medica quodlibet. disput. agit. In Scho. Med.

Die Jouis 17 Nouem. D. Stephano Dufour Reg. medico sapientiss. moderatore

An omne vivens calidum?

Res naturales duobus constant principiis uno cuius causa transmutantur (immateriata enim sunt cetera) altero cuius beneficio perdurant tandiu enim durant, quandiu forma materiae coniuncta manet tandiu vero manet quandiu in eo suas actiones obire potest. Materiam nimirum conformatam quae deinde forma naturalis dicitur, organicam quae vitalem reddit anima; proinde vita animae permanentia in corpore conformato non absurde definitur, corporumque viventium tot differentiae constituuntur, quot animarum.

Plantae vivunt anima vegetante qua nutriuntur, augentur, procreantque similes: at belluae vivunt anima sentiente, qua non tantum utilia ab inutili secernunt, ut plantae, sed etiam moventur loco ut persequantur utilia, et declinent nocitura: praeterea dormiunt, cogitatione fingunt, meminerunt. Solus homo vivit anima ratiocinante, qua vegetat ut planta, sentit ut bellua, praeterea philosophatur, qua functione non tantum a caducis, verum etiam a sempiternis ~~naturis~~ naturis distinguitur.

Viventia si fato moriantur frigore pereunt, quia calore vivunt quantumvis sint frigida, quo ministro anima non tantum naturales et vitales, sed etiam animales actiones exerit, nefas enim dicere calori efficiendi primas partes deferre, qui in agendo nullum teneret modum nisi a meliore causa regeretur. Ille etiamsi origine sit caelestis contagione tamen fit elementaris, siquidem nutritur, inopia pabuli marcescit, humoris copia suffocatur, et immodico frigore extinguitur, ut tamen calori caelesti nihil adversetur, ille ipse est qui nos gignit, et conservat.

In viventibus multa quidem calida ut cor, iecur, sanguis, spiritus. Unicum tamen in his ut in ipso primum calidum, cuius participatione cetera calida nuncupantur, spiritus scilicet partim fixus, partim influens, isque vitalis, aut animalis, quandoquidem naturalis nulla est necessitas, illum veteres instrumentum, quem sedem animae nuncupavere, est enim aereus non aethereus ab alio, non a semet ipso mobilis.

Spiritui inhaerens calor in humore non quovis, sed aereo consistit, cuius inevitabili privatione paulatim marcescit, sicque viventia omnia ad interitum perducit, quique nos genuit idem occidit. Horum trium unione constat calidum innatum, animae praecipuum instrumentum, et vitae solidum fundamentum a quo insignes illae mutationes, quae toto vitae decursu naturales contingunt, ex pueritia enim calida humida ad senectutem frigidam siccam fit transitus per adolescentiam temperatam, et iuventutem calidam siccam.

Ergo omne vivens calidum.

Asserebat Guillelmus l'Hoste Ambianus. 1588.

Dni Doctores disputti

M. Aegidius Girard.
M. Nicolaus Jabot.
M. Antonius De Cappe.

M. Joannes Grouft
M. Simon Pietre.
M. Joannes Duret Med. et prof. Reg.

M. Lazarus Ghenot.
M. Martinus Girault
M. Joannes Faber Prof. Reg.

Dicavit suam thesim D. Myronio archiatro, quem protectorem suum vocat, senatoriisque patriae titulo commendat, qui et vita et bona valetudine principis subditorum omnium salus pendet. Vix tamen erat de facie illi cognitus, desiderato de senato Morello.

B.M.P.